

2. D. B. V.

30

II g  
50

G.K.  
574  
12.

VINDICIAS  
SCHOLARUM  
IN REPUBLICA  
NECESSARIARUM,

AUSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
FRIDERICI AVGVSTI,

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII SAX. HERED.

DISSERTATIONE PRIORE

PRAESES

M. JO. CONRAD. BOECKMANN,

MAGDEBURGICUS,

ET

RESPONDENS

JO. LEONHARTUS HOLFELDERUS,

GAILSHEMIO - ONOLDINUS.

D. XIX. OCTOBR. MD CC IX.

H. L. Q. C

AD BENEVOLAM CENSURAM OFFERUNT.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

VITEMBERGAE, PRELO CHRISTIANI GERDESII.

23.





VINDICIAS  
SCHOLARUM  
IN REPUBLICA  
NECESSARIARUM

AVSPICIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
FRIDERICI AVGVSTI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII SAX. HERED.

DISSERTATIONE PRIORE  
PRAESES

M. JO. CONRAD. BOECKMANN  
MAGISTER

RESPONDENS  
JO. LEONHARTUS HOLFELDERUS

GALSHOFENIO - O. GLIDINUS  
D. XII. OCTOB. CO. TO. CO. LI.  
H. E. C.  
AD ERNESTORUM UNIVERSITATEM ORFENONT.  
VITIMBERGAE, CALIO CHRISTIANI CERESII



53







L.



On parvus est illorum numerus atque multitudo, qui ex summa sive ruditate et ignorantia, sive iniquitate et malitia, nunc directe, nunc indirecte, scholarum necessitatem contemserunt semper ac pro nihilo putarunt. Adeo hoc ipsum multa affirmatione, animique pariter constantia et vultu abnuerunt ii, a quibus et praesidium et commendationem bonarum artium officinae certo sibi promittere ac polliceri debebant. THOMAS GARZONVS (1) et JO. BAPTISTA EGNATIVS mihi visi sunt vix verbis exprimere potuisse, quibus quidem sententiis *Thamus, Licinius, Julianus, Valentiniannus* Literas, artesque liberales, doctos etiam Homines, scholas denique Christianorum ulți & persecuti fuerint, contra quam a *Julio Caesare, & Augusto, Vespasiano* item & *Marco Antonino* aliisque summis imperantibus factum esse praeter caeteros docet D. JO. MICRAELIVS. (3)

(1) *Lib. cui Tit. Piazza Univers. im General Discurs von allen Wissenschaften, Künsten und Handwercken insgemein pag. 17.*

(2) *Lib. I. Romm. Principp. C. Suetonii Tranquilli vitis Caesarum annexo in vita Licinii pag. m. 491. in vita Juliant pag. 495.*

(3) *Syntagm. H. E. L. III. Sect. I. de Scholis sub Imp. Germ. p. m. 157.*



## II.

At vero, ne haec res cuiquam forte aliquantulum longius perita videatur, cujusnam, quaeso, scientiam fugere sinunt V. L. a SECKENDORF, (1) DAV. CHYTRAEVS, (2) MELCHIOR ADAMVS, (3) JOACH. CAMERARIVS, (4) JO. SLEIDANVS, (5) M. JO. MATTHEIVS, (6) ABRAHAMVS SCVLTVS, (7) Magnus Dn. D. MAYERVS (8) et, quem aegre nunc subjungo, GODOFREDVS ARNOLDVS, (9) qui furor *Carolostadium*, vero nomine, *Andream Bodensleinium*, *Nicolaum Ciconiam* seu *Pelargum*, vulgo *Claus Storch* dictum, *Marcum Stübnerum*, *Martinum Cellarium*, *Thomam Müntzerum*, *Gabrielem Didymum*, *M. Georgium Morum*, quae pravitas mentis *Paulum Nagelium*, *Jo. Bapt. Helmontium*, *Georg. Laurent. Seidenbecherum*, *Antoniette Bourignon* pluresve tenuit? Illi enim oppidanam scholam in tabernam, ex qua panes venderentur, commutarunt, nullam literis operam dandam esse, sed arcanas revelationes et motus Spiritus sancti expectandos somniantes. Hi vero a scholis homines et Auditoriis omni contentione revocarunt, mendacia in iisdem proponi, rixarum, altercationum, disceptationum altrices eas esse, maxima Scripturarum Mysteria negligi, Philosophiam Ethnicam doceri, dogmata conficta ad proprium quaesitum traduci, illarum introductione Spiritus Lumen extinctum esse afferentes.

(1) *Comm. de Lutheran. Lib. I. Sect. XLIX. §. 121. Addit. II. p. m. 198.*

(2) *Chron. Sax. &c. Lib. IIX. ad A. M. D. XXI. pag. m. 253.*

(3) *in vitis Erudit. spec. in vita Carolost. p. 38. seq. in vita Lutheri p. 59. (4) in vit. Pbil. Melanchronis p. 44. 45. 46. seqq.*

(5) *Commentar. de Statu Relig. et Reip. Lib. III. pag. m. 67.*

(6) *Lib. V. p. 128, 108, 109, 110. (7) in den Historien von D. M. Lu-*

*thers*



*ibers Anfang, Lehre, Leben &c. Conc. IV. p. 33. (7) Annal. p. m. 90, 76, 77, 78. (8) Disput. de Carolo stad. Gryphisw. A. 1708. hab. §. 8. p. 18, 19. (9) Part. III. der Kirchen- und Kerzer-Historie C. V. §. 4. p. 53. C. IIX, §. 2. p. 72. sq. c. XIII. §. 36. p. 134. cap. XVI. §. 19. p. 160.*

## III.

Haudquaquam reverentius de scholis locuti sunt *M. Valeratinus Weigelius* (1) et *Christianus Hoburg*, (2) seu, quo nomine latitare multo maluit, *Elias Praetorius*. Siquidem turpissime eructando dixerunt: in scholis Christum nec velle nec posse inveniri, Praeceptorem pariter et Discipulum neque Deum neque semetipsum cognoscere, nihil quicquam de interno utrumque testimonio scire, id scilicet magna totam Doctorum multitudinem voluptate afficere, si literas linguasque callerent, si legere, scribere, disputare, poema facere, alios docere possent, in scholis tantum externum hominem informari in mysteriis divinis, easque non nisi nugali-um hominum stabula stercorelissima esse. Quid de iisdem *Quackerorum* turba atque colluvio sentiat, quid censeat, **HAMBURGENSE MINISTERIVM** (3) dilucide exponit.

(1) *Part. I. Possill. fol. 93. 96, 195. it. im güldenem Griff cap. II. p. 10.*

*C. XVII. p. 71. conf. c. XXIIIX, p. 73. &c. (2) Apol. p. 341, 347.*

(3) *im Quäcker Greuel p. 244.*

## IV.

Hac nostra aetate cum praedictis aliisque omnia repagula juris, pudoris et officii perfringentibus hominibus *Joa-chimus Langius*, (1) *Godofredus Arnoldus*, (2) et quotquot illos e Fanaticorum colluvie tanquam Duces suos sequuntur et venerantur, amicissime conspirant. Vellem *Observator Halensis* fecisset, ut nunc jure liberum eum, intactum sine curatio-rique censura hinc dimittere possem. Sed velim nolim norunt



fere omnes os hominis, norunt audaciam. Neque enim satis habuit, hinc inde (3) Scholarum in Republ. necessitatem extenuare, sed eo usque progressus est, ut integro capite vel quasi peculiari observatione (4) sibi causae suae fidem, et auctoritatem, et firmamentum adjuncturo probandum fumeret, Scholas neque necessarias esse neque utiles ad studium sapientiae. Quam quidem hypothese[m] multo falsissimam profligare in praesenti eo lubentius animum induxi meum, quo minus ignorem, Summi Praepotentisque NVMINIS hic rem agi, sicque mae demum obsequium Superioribus studiorumque meorum Fautoribus semel iterumque hoc argumentum suadentibus comprobare, quorundam etiam desiderium quodammodo explere, itemque amorem in eos, quos decipere seducereque omnino tentat *Observator*, declarare posse. Ita vero rem omnem diducemus ut in hac Dissertatione veram sententiam, non quidem omnibus, quae pro eadem afferri poterant, sed quibusdam saltem rationibus et argumentis, iisdemque, ut puto, non contemnendis muniamus et corroboremus: in altera praecipuas antiquiorum scholarum hostium acerrimorum, inprimisque *Observatoris* objectiones exceptionesque, quas pro stabilienda sua opinione corrasit collegitque, repetamus aequae ac sub examen vocemus.

(1) *Med. Ment. Praef. §. 2. 3. Cujus viri odium in scholas merito nupere detexit Praecell. Fac. Pbil. Ampliff. Adjunctus Dn. M. JOH. JACOBUS FERBERUS, Fautor noster honoratissimus, pec. Disp. Medicinæ Mentis opposita, spec. §. 1, 2, 3. (2) Haeresiol. passim. (3) Tom. I. observationum (ut Tit. habet) selectarum et ad rem literariam spectantium A. 1700. edit. observ. II. §. 5. pag. 30. observ. III, §. 3. seqq. p. 36. §. 6, 7. p. 37, 38. observ. XI. §. 1. 3. p. 139, 140. observ. XII. §. 1. p. 146, §. 5. p. 149. 150, obs. XIII. §. 1. p. 152. §. 3. pag. 154. obs. XIX. §. 1. p. 279. etc. (4) quae est c. 1. observ. X. Cur vero eadem Observatio A. 1704. cum aliis Tom. I.*



Tom. I. extantibus in Germanicam Linguam translata fuerit, vel hac potissimum de causa factum esse existimo, ut rudis et imperitiae plebecolae animum eo facilius feliciusque occupare possent impia et detestanda hyporbesis.

V.  
Id autem facturo necessario quaedam praemittenda sunt, quae controversiae statum spectare censeo, quo deinceps eo rectius ferri queat iudicium. Fiet illud omnium commodissime, si tum qua *Subjectum* tum qua *Predicatum* pauca praemonebimus. Velim igitur sciatur; hac vice non quaeri de scholis universalibus, quibus Gymnasia plerumque et Academiae intelligi solent: Utrum iis carere nequeamus? Tametsi enim has necessarias esse non negemus, tamen jam pridem eruditi id orbi literato demonstrarunt, ac quotidiana testatur experientia, atque, si desideretur, saltem ob argumenti praestantiam, alio tempore ab aliis harum scholarum superiorum necessitas praefracte eam negantibus ob oculos poni facili negotio potest. Sed sermo nobis de iis scholis est, quas vulgo inferiores, particulares, classicas et triviales vocant, quaeque non satis commode ab *Observatore* (1) universalibus opponuntur, cum illae his potius subordinandae fuerint. Neque putari debet, eam a nobis urgeri tantum necessitatem, cum scholas in Republ. necessarias esse dicimus, quae in scholis *necessitatis expedientiae* nomine venire consuevit, ubi vel *ως ἐν παρόδῳ* observo, quod hac ratione *Observator* (2) scholarum utilitatem cum earundem necessitate mihi confundere visus sit. Sed quaerimus simul de *necessitate exigentiae* vel *indigentiae*, sic ut ejusmodi scholas etiam hoc sensu necessarias esse publice profiteri dubitemus neququam.

(1) Tom.



(1) *Tom. I. Obs. II. §. 1. p. 27. Verba ejus ita sonant: De scholis multæ scriptæ confuse plerumque, si non semper, (solum ergo primusque sapit Observator) parvum quod infinitam fere vocis homonymiam non exacte secernerent, partim quod scholas ab Academiis non satis erudite distinguerent etc. quod non dici tantum, sed et probari ostendique debebat ab Observatore. Dabunt quæ vocis Homonymiam spectant præter alios, quos ipse etiam Observator c. l. allegat BASILIUS FABER in Lex. ad hunc loc. M. LUDOV. LUCIUS in aerario Marii Nizolii Thes. Ciceron. annexo p. 3887. HENR. VALESIUS in not. ad Ammiani Marcellini Lib. XIV, pag. 33-34. Lib. XXV. in not. p. 442. (2) c. l. Obs. X. §. 2. pag. 114. Ipsius Observatoris Verba ibidem ita fluunt: Per necessitatem vero intelligimus b. l. id, sine quo studium sapientiæ veræ non potest perfici aut sapientiæ vera acquiri, et per utilitatem id sine quo sapientiæ non ita commode ac facile acquiritur.*

## VI.

Enimvero initio vestigia hujus rei in Scriptura divinare tam V. quam N. T. extant quamplurima. Quid aliud Samuelis, Eliae, Elisæi, Gad, Natban, eorumque successorum ἀποθήκη fuerunt, inquit V. Cl. AUGUSTUS BUCHNERUS (1) quam Collegia quaedam ac scholæ publicæ juxta ac privatae in usum juventutis Israeliticæ ab illis institutæ, in quibus, qui docebant, Patres aut Rectores, qui discabant, Prophetarum Filii appellabantur. Nec facile propter docentium nomen et locorum celebritatem in ignoratione nostra scholæ ipsius Servatoris, Jo. Baptistæ, Hierosolymitana, Atheniensium, Corinthiaca et aliæ plures bene constitutarum Rerumpubl. quas JOSEPHUS LANGIUS (2) et MATHIAS FLACIUS ILLYRICUS (2) recensent, versari debebant.

(1) *Diff. Academ. p. 634. program. 472. in abitum M. Jac. Reichmanni.*



*manni.* (2) *Florileg. Magn. sub. rit. scholae p. 2687.* (3) *Part. II. Clavis Script. Tractat. VI. de Stud. S. liter. pag. m. 520.*

## VII.

Cognoscunt id etiam Parentes et naturae quodam instinctu ad liberorum institutionem ducuntur trahunturque. Philosophiam *Chaldaeorum* et *Aegyptiorum* pueri a Patribus didicerunt. *Indi* et *Brachmanes* edito infanti Curatorem et Vitae Magistrum custodemque adhibuerunt, ut sub legibus et Magistratibus bonis disciplinis formatus salutaribus exemplis erudiretur. (1) Adeo clara res est, ut plura huc transcribere exempla superfedere jure merito possim. Jam vero nos illi prorsus non sumus, qui affirmemus cum *Observatore*, (2) solis Parentibus hoc docendi munus esse relinquendum. Aliorum quippe, quorum eruditio aequae ac virtus nota perspectaque est, curae et fidei ipsorum Liberi sunt committendi. Fieri namque solet, ut ipsimet Parentes quandoque vel summe necessaria atque potiora ignorent, vel facultate clare omnia perspicue et distincte proponendi destituantur, vel ob nimis deliciarulum singularemque in suos affectum ea, qua fieri oportebat, dexteritate hoc officio defungi nequeant. (3) Ipse *Observator* id dissimulare non potuit, cum scripserit, plerisque Patres familias ad proprios Liberos instruendos esse inaptissimos. (4)

- (1) *Vid. JO. S. LANGIUS Polyanth. fol. 1496. ad voc. Instit. (2) cit. l. Obs. X. §. 10. sqq. p. 118, 119. ubi, ut in summar. p. 112. dicit, sese respondere praetextibus putat, cur Parentes informationem priorum liberorum aliis demandent.* (3) *Conf. Cl. Dn. M. JO. NAGELII Disp. post. de mutuis iisdemque praecipuis inter Docentes Discentesque officiis §. XV. n. 4. in hac nostra Academia A. 1702. hab. (4) cit. loc. Obs. XI. §. 4. p. 141. Conf. Obs. X. §. 13. p. 119.*

## IIX.

Nec vero propterea in ejusdem *Observatoris* (1) illorumque descendimus sententiam, qui pro privata atque domesti-

B

ca



ca discere cupientium informatione pugnant, eandemque Scholis auctoritate publica in Rep. constitutis plus justo praeferunt. Apprime ad rem faciunt, quae hunc in modum differit *DAN. GEORG. MORHOVIUS*: (2) *Securior in Scholis bene institutis via est, in quibus etsi tardiores sint progressus, firmiter, tamen illic ponuntur vestigia, & cum ipso iudicio practico, quod cum annis accrescit, quasi solidatur doctrina.* In Scholas ergo publicas potius, si bene constitutae sint in Rep., mittendos esse pueros quam in privatas censemus. Etenim varendum est omnibus bonis probisque, ne domestica educatio mollior sit publica. Tum quoque non raro accidit, ut privatos intra parietes pueri nunc tam frigide agant, ut nolle existimentur, nunc, cum se nemini conferant, ad instar maris inflati subito penitusque tumescant. Quin id mihi etiam nemo non facile dederit concesseritque, majorem vim esse in laudationibus objurgationibusve publicis, quam in privatis. Accedit, quod praestet, ut ii, qui Ecclesiae juxta ac Reip. olim praefici volunt, ab ineunte statim aetate in conspectum plurimorum venire debeant, sicque tempestive discant non omnes ut aliquam immanem ac perniciosam bestiam pestemque fugere. Quid? quod hoc modo, hoc pacto puerorum animi ad arctissimam quandam conjunctionem omnique tempore jucundissimam vitae atque officiorum omnium societatem sensimque et caute praeparentur. (3) Relinquitur ergo, propter exiguum Docentium numerum et multitudinem in Rep. discendum informationes privatas sine publicis institutionibus non sufficere, quod omnium maxime Scholarum publicarum necessitatem exigentiae in Rep. probat.

(1) *cit. loc. Obs. XII. §. ult. p. 151. Produco verba integra, quae hujus sunt tenoris: Et quamvis plurimi in comparandis inter se Scholis privatis et publicis communiter has prae illis extollere soleant (conf. Quintil. Instit. Orat. L. I. c. 2.) tamen cur et hic dissentiam,*  
cau-



*causas non solum dixi in dicto Mense Novembr. sed et eae partim ex dictis Obs. X. n. 10. sqq. patrim ex iis quae suo loco de vitiosa origine Scholarum publicarum dicemus, pateſcent. Sed nituntur haec omnia falsa hypothefi, quam §§. antec. quodammodo profligavimus, id quod pace Observatoris dixerim. (2) Tom. I. Polybiſt. L. II. c. X. de curriculo Scholaſt. n. 2, p. 481. (3) Vid. praeter M. FAB. QUINTILIANUM aliosque ap. M. ANDREAM GARTZAEUM Diſſp. Schönborner. Diſſ. V. de Patria et herili ſocietate quaest. 7. JO. FUNGERUS de puerorum diſciplina et recta educat. p. 31. ſqq. M. ADAM. ROMANUS Part. Problem. Congreſſ. Philoſ. Cent. I. Sect. VI. q. 9. D. PHIL. HENR. HOENONIUS Diſſp. Polit. Diſſ. V. §. 7. p. 216.*

## IX.

Auſim praeterea affirmare, *Obſervatorem* haectenus aut non perſpexiſſe, aut certe, quod tamen vix ferendum in homine Chriſtiano perſpicere noluiſſe quorumvis in lucem editorum conditionem atque naturam. Quaeſiverim ego ex eodem: Num omnes, qui naſcuntur, literas legere aut exarare valeant? Interrogaverim ipſum hoc: Utrum notitiam fundamentorum pietatis ac ſalutis habuerint omnes, qui in lucem unquam ſuſcepti fuere? Rogitaverim: An mente repetere poſſit tempus, quo recens natos omni virtutum genere et morum elegancia praeditos vidifſet? Recte ARISTOTELLES dixit: *intellectum eſſe inſtar tabulae rae, cui a Natura nihil, praeter ea quae ſunt connata, inſcriptum.* Veram eſſe PLATONIS vocem, *nullam beſtiam puero intractabiliorem,* proh dolor! quotidie ſatis ſuperque intelligunt in Scholis publicis docentes. Et graviter omnino MICH. HAVEMANNUS: (\*) Scholae ſunt pietatis officinae, Eccleſiae Seminaria, Reip. fulcra, artium et lingvarum nutrices, formatoria, NB. *quo eunt beluae, redeunt homines, pulchra et optabili metamorpoſi.* Haud quaquam vero haec mala ſolae privatae inſtitutiones tollere valent.

(\*) *Lib. de Meth. Sect. I. c. XVI. p. 169.*



## X.

Adhaec res clarius patet, si consideremus praesentis seculi statum tristissimum. In ea incidimus tempora, quae ob malitiam et proteruitatem hominum a nemine desleri satis possunt ac deplorari. Quidam e nostris surrexerunt, qui nescio quas horrendas et monstrosas hypothesen in publicum producant, evomunt, disseminant. Ingemiscunt hujus aetatis nostrae conditioni Magnificus Dn. D. FECHTIVS, (1) Magnificus Dn. D. WERNSDORFIUS, (2) Excell. Dn. Lic. NIEHENCK, (3) Patroni Praeceptores, studiorumque meorum Promotores nunquam non demisse colendi, atque ad unum fere omnes Theologi malum ipsum probe expendent. (4) Sed vero ita furentibus vix amplius resisti poterit hominibus, nisi bene in Rep. institutae Scholae publicae conserventur, defendantur. Tum certe futurum est, ut ex his prodeant pii atque docti, quique quovis loco ac tempore huiuscemodi sese intempestivis ausibus serio objiciant, nihilque omittant, quod ad tuendam Numinis gloriam et Reip. procurandam salutem et cujusque proprium commodum promovendum facere videtur.

- (1) *Prael. publ. in Nov. Theol. Indifferentist. Prooem. §. 1, 2.*  
 (2) *Disp. de Indifferentismo Religg. in genere 1707. habet statim sub initium et Disp. III. de eodem argumento contra Fridlib. pag. 8.* (3) *Compend. errorum Pietist. praefat.* (4) *Vid. adhuc e multis Magnificus Dn. D. V. E. LOESCHERUS in Disp. do Schwenckfeld, in Pietismo renato Prooem. item in allocutione ad S. Literarum Cultores in hac nostra Academia in tristissimo funere Magni nostri D. IO. GEORG. NEUMANNI,*

## XI.

Sic igitur accedit, quod tanta et tam varia in Rep. Scholarum publicarum bona sint, ut digne satis exprimi a quocumque vix possint. Quilibet bonus ultro fatebitur: in his pue-

ros



ros ad exactam potiorum Religionis purioris capitum, bonarum artium et Lingvarum cognitionem suaviter abduci. Quibus ita rite positus fundamentis facile majora deinceps in Academicis ὀρθοδοξίας laudē et docentium celebritate valde conspicuis superstrui queunt. Cum primis ea pietate ipsorum pectora imbuunt fideles Praeceptores, ut Numen sanctissime colant, ubi ubi sint, revereantur, Ejusque Praecepta diligenter observent: Ac proinde falsum illud crimen *Observatoris*, (α) Scholas pietatis i. e. verae sapientiae studium negligere, statim concidit et extinguitur, ipsa quotidiana experientia contrarium aperte docente. Autores iis quoque sunt, ut τὸ πρέπον in omnibus actionibus respiciant, nec Proximum temere laedant, sed per modestiam et diurnam nocturnamque vigilantiam ac patientiam in quibusdam perferendis laboribus Deo, Ecclesiae, Reip. servire famamque sibi claram ac stabilem comparare studeant. Hinc seminaria Pietatis, morum et virtutum; (β) Hinc templa et domicilia verae Pietatis, Lingvarum et artium officinae, arteriae in Ecclesiam, orthodoxam Religionem, in Remp. pacem et concordiam diffundentes, rerum omnium quae ad tuendam humanam societatem pertinent, Magistrae et Matres; (γ) Hinc Reip. elementa et partes (δ) a plerisque vocantur. Quodsi vero haec tanta bona Reip. sine scholarum publ. usu acquiri non possunt, quasi sua sponte sequitur, illas dicto modo esse necessarias.

(α) *Tom. I. Observat. III, §. 5, p. 37. Scribit Observator ibidem hanc in sententiam: Quodsi cum quibusdam aliis urgeres, in scholis tamen intentionem docentium esse, ut auditores evadant docti, in concionibus, ut pii, nihil aliud efficeres, quam ut quidem distinctione illa satis evidenter notares defectus communes scholarum, pietatis i. e. verae sapientiae studium negligentium. Videtur quidem Observator pag. seq. sese explicare, sed latet angvis in herba, ut quis facile animadvertet, et in conflictu, si desiderabitur, a nobis ostendetur. (β) ut Cl. Dn. M. IOACH.*



*MANTZELIUS* in ἀπερογραφία Paedagog. pag. 8. in not. observavit in der Schul-Ordnung Ducis AUGUSTI Administratoris Magdeburg. edit. Halae 1658. pag. 7. (γ) vid. HOENONIUS cit. loc. disp. V, § 5, 6, pag. 215. BUCHNERUS cit. loc. program. CXI, pag. 214. (δ) conf. MICRAELIUS Aphorism. de Regia Polit. Scientia disp. V, §. 6, No. 2. Equidem Observator Observat. XII, § 1, 2. rejicit elogia a CHRISTOPHORO BESOLDO Academiis tributa; sed non opus est, ut eadem respondeatur, partim quod nunc non disputemus de Academiis, partim quod nemo ei jure succensere possit, qui nullam iniquissimam Observatoris censuram responsione dignatur.

## XII.

Prorsus ac omnino insuper notari meretur ingens discrimen atque periculum, in quod tam Ecclesia quam Resp. vocantur, si scholas publicas e mundo tollere velis. Ac illa quidem consistere non potest, eo quod quilibet id esse verum putaverit, quod modocunque ab ipso prolatum fuerit, et diversarum Religionum tolerantia Ecclesiastica cunctis valde metuenda sit. Videris, quantum fenestram ad Atheismum, Scepticismum, Libertinismum, Indifferentismum patefeceris. Haec vero tunc nulla est, cum si qui adhuc ad gerendum Magistratum accedunt, bene hoc officium administrare neque sciant, neque velint, neque possint. Qui sciat, in quo omnis notitia eorum, quae ad felicem Reip. administrationem requiruntur, desideratur? Qui velit, omnes qui leges, divinas et civiles, susque deque habet? Qui possit, cui non nisi res est cum improbis planeque perditis civibus? Atque ad haec tanta mala declinanda iterum solae privatae scholae non sufficient.

## XIII.

Denique tenere non possum, quin declarem rem satis, ut puto,



puto, evictam, et *περὸς ὅμματα* demonstratam quibusdam adhuc clarissimis illorum testimoniis, qui summam scholarum in Rep. necessitatem probe cognoverunt, eademque *Observatorem* recte intueri jubeam. In his principem locum merito obtinet D. MARTINUS LUTHERUS, quippe ad cujus verborum recitationem tanto me citius, tantoque libentius recipio, quo magis mihi in mentem venit recordari, alibi (1) ad illum magni nominis Theologum ab ipso *Observatore* esse provocatum. Hoc autem modo B. Vir differit: *Wenn ich vom Predig - Ampt und andern Sachen ablassen kündte, so wolte ich kein Ampt lieber haben, denn Schulmeister oder Knaben - Lehrer seyn. Denn ich weiß, das dis Werck nechst dem Predig - Ampt das allernützlichst, größest und beste ist, und weiß dazu noch nicht, welches unter beyden das beste. Denn es ist schwer alte Hunde bendig und alte Schelcke fromm zumachen, daran doch das Predigt - Ampt erbeit, und viel umsonst erbeiten muß, aber die jungen Bäumlein kan man besser biegen und ziehen, obgleich auch etliche darüber zubrechen.* (2) Liceat mihi nunc testem citare D. PHIL. MELANCHTHONEM praeclare ita scribentem: *Wie tröstlich ist für einen Schul - Diener, daß er mitten unter die jungen Kinder sitzen mag, daran GOTT der HERR einen sonderbaren Gefallen hat, und die zarte Jugend unterweisen, wie sie GOTT recht dienen, und zu nützlichen Werckzeugen der Christlichen Kirchen gedejen mögen.*

(1) *cit. loc. Observat. XIX, p. 282, ubi FRIDEMANNI BECHMANNI sententiae de informatione liberorum in statu integricatis contrariam, ut putat, ex Luthero objicit; sed quod ingenue fateor, saltem ex allegatis ab Observatore Lutheri verbis plene perspicere hoc dum baud potui, qui B. Virum in suas trahere partes contra Bechmannum queat.* (2) *Opp. Tom. V. Jenens. Germ. in der Predigt, daß man Kinder zur Schule halten*



halten solle fol. 184. *Quam concionem utinam Observator cum scripto an die Bürgermeister und Raths-Herren aller Städte deutsches Landes, daß sie Christliche Schulen aufriichten und halten sollen Opp. Altenburg. Tom. II, p. 804-815. legeret relegeretque!* (3) ap. Dn. M. MANTZELIUM Orat. Inaugur. de quatuor Virtutibus cardinalibus Paedagogi p. 12. in not.


## XIV.

Nolo Autores cumulare, quandoquidem *Observator* ipse recte et merito confiteatur, ad unum fere omnes doctos a se dissentire in hoc argumento, (1) et praeter THOMAM CRENIUM nullum amplius in partes meas descendentem cito. Prolixiuscula celeberrimi Viri verba videri poterant, sed notatu longe dignissima. *Quorumvis*, inquit, (2) ingeniorum pueros ad scholas admittere, imo omnes ex aequo, quemcumque sibi ipsis scopum et finem vel eorum parentes illis praefixerint primis annis, scholae tradi aequum censeo, cum ut pietatem, et capita doctrinae Christianae recte addiscant, tum ut legere, scribere et numerare doceantur, cuicumque generi vitae sese sint dedituri. Ita enim in omni statu homines magis pie educatos et rebus domesticis etiam utiliores habituri sumus. Et optandum erat, nemini jus civitatis alicujus communicari, nisi capita pietatis teneret, et legere, scribere, rationesque domesticas conficere possët, ut sine quibus rei suae privatae bene praesse nullus paterfamilias queat. Tum demum enim Respublicae bene sunt constitutae, quando privatae cujusque sese recte habent, et contra, si secus.

(1) cit. loc. *Oserv.* X, §. 12, pag. 117. (2) *Traçtat. de Philolog. Stud. Liber. et doçtr. informat. et educat. litterar. Generos. adolescent. spec. ad Joach. Pastorii ab Hirtenberg de Juventut. instit. rat. Diatrib. p. 224. in not.*

TANTUM.





Farbkarte #13

B.I.G.

Q.K.  
574  
12.

Q. D. B. V.  
VINDICIAS  
SCHOLARUM  
IN REPUBLICA  
NECESSARIARUM,

30  
II g  
50

AUSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
FRIDERICI AVGVSTI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII SAX. HERED.

DISSERTATIONE PRIORE  
PRAESES

M. JO. CONRAD. BOECKMANN,  
MAGDEBURGICUS,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

ET  
RESPONDENS  
JO. LEONHARTUS HOLFELDERUS,  
GAILSHEMIO - ONOLDINUS.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

D. XIX. OCTOBR. MD CC IX.  
H. L. Q. G.

AD BENEVOLAM CENSURAM OFFERUNT.

VITEMBERGAE, PRELO CHRISTIANI GERDESII.

23.